

XIII.

Potest igitur Φθορὰ aliqua omnino inferri coetui puriori, et in vera doctrina innutrito atque semper educato, imo eo maiori interdum in periculo versatur, quo innocentior et a falsitate alienior est. Unde Apostolus hoc negotium illustrandum putavit exemplo ad omnem posterritatem lugendo Evae, matris totius humani generis, creatae in summa et perfectissima, quae in hominem cadere potest, simplicitate, innocentia, intellectusque et voluntatis rectitudine. Haec enim fraudibus Satanae sub serpente latentis, adeo exquisitis, ut Spiritus S. meliori voce non possit exprimere, quam ut eas παντεγγίας nominet, admodum notanter, h.e. *fraudem omnium fraudum, artem omnium artium*; nihilominus tandem succubuit et devicta est. Quae circa hunc lapsum observanda innumera essent, non vacat ob brevitatis destinatum studium fuse excutere: hoc notamus tamen, quod, quae ad excusandam Evam nonnunquam ab eruditis conquisita, censuram Spiritus S. et fidei non sustineant. Ita SIMON PATRICIUS Episcopus Eliensis in Britannia, dum in Comm. ad Genesin lapsum matris nostrae contemplatur, eo descendit opinionis, ut credat, Angelos Seraphinos Protoplastis conspicuos subinde fuisse *sub forma serpentum alatorum et insigni splendore velut flamma coruscantium*: eandemque formam et imaginem non ingratam induisse diabolum, Evam deceptum, quae eo facilius colloquio se submiserit, cum crederet Angelum Dei esse, adeoque ipsi fidem eo maiorem haberet. Coniectura vero illa, uti ab integra historia Mosaica refutatur, quae, qualis Angelus sub serpente latuerit, diserte exponit, ita errorem Evae potius multiplicat, cum hoc modo in opinione eam versari oportuerit, Angelos bonos talia posse proferre, quae mandato Dei aperte refr-

C

garen-